

**Observationes medico-practicae circa remedia nonnulla indigena ... / [Lars Magnus Holmer].**

**Contributors**

Holmer, Lars Magnus, 1764-1800.  
Thunberg, Carl Peter, 1743-1828.  
Uppsala universitet.

**Publication/Creation**

Upsaliae : Johan. Edman, [1790]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qsk65e35>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

✓ OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ  
CIRCA  
REMEDIA NONNULLA  
29224/P INDIGENA.

QUAS  
CONS EXP. FAC. MED. UPS.  
PRÆSIDE

CAROL. PET.  
THUNBERG,

EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,  
MEDIC. DOCT. PROFESS. MED. ET BOTAN. REG. ET ORD., ACAD. CÆSAR.  
NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LONDINENS. HOLMIENS. SOCIET. SCIENT. UPSAL.  
PATR. HOLM. BEROL. NAT. SCRUT. LUNDENS. HARLEM. AMSTELD. ZELAND.  
NIDROSIENS. HALENS. NAT. SCRUT. LINN. LONDIN. MEDIC. EDIMBURG. ET NAT.  
STUDIOS. ISID. MEMBRO; NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. MONSPLEIENS.  
AGRICULT. PARIS. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU DOCTORIS

*Publico examini submittit*

LAURENTIUS MAGNUS HOLMER,

MEDICUS CASTRENSIS ET MED. PROV. ADJ.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. 17 APR. 1790.

*Horis ante & post. merid. solitis.*

---

UPSALIAE,

Apud Direct. JOHAN. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

Egäyer  
Anno 1797. 3





### *Prooemium*

**Q**ui corporis humani per adminicula anatomica artificiosam didicerit structuram, quique ex signis nosologicis morborum variantium multitudinem insignem nosse studuerit, multa adhuc desiderat futurus Medicus, non minus necessario addiscenda, antequam cum fructu & successu debito praxi medicæ se se accingere debet & potest. Neque enim Diæteticas regulas ignoret vel contemnat, plurimum ægritudinum remotiores vel proximiores caussas, neque remediorum qualitates, vires, doses & usus. Quantum enim est necesse, morbum rite & sufficienter nosci, atque species ejusdem distingvi, tantum etiam necessaria evadit cognitio remediorum, quorum ope turbæ in corpore ortæ tolluntur & sanitas deperdita restituatur. Obruimur utique in Pharmacopoliis multitudine nimia remediorum, quandoque numquam usitatorum, aliquando omnino inutilium. Ut hæc minuatur infructuosa moles, utque Tituli non remedia tantum, sed Pyxides in primis venena salutaria contineant probata, necesse erit, ut

observationibus adcuratis & experimentis rite institutis vires & efficaciam eruantur medicamentorum. Hæc considerans, dum in eo essem, ut specimen inaugurale meditarer, paucis demonstrare volui securum & optimum effectum, quem ipse expertus fui quorundam remediorum in patria crescentium, in curandis morbis, hocce & præterlapso anno in Nosocomiis Clasficiis obvenientibus. Fateor quidem lubenter, non ignotas esse ante vires illarum herbæ & radicum, quarum usus exemplis confirmare animus est; sed tamen credere fas erit, non omnino vanum fore meum propositum, ulterius experimentis & casibus allatis harum virtutes & efficacias comprobandi. Tibi itaque, B. L., placeat velim benignè respicere meos conatus qualescumque, quibus pro virili aliquid in augmentum scientiæ salutaris ejusque certiorem praxin conferre sum annis.

### *I. ARNICA MONTANA*

Non ultimum inter indigenas herbas sibi vindicat locum. Illa non in eis solum Provinciis, quorum Illustr. Assesfor HEDIN, in suo de hac herba, anno præterlapso, edito Tractatu mentionem facit, sed etiam frequentias in Dalia, atque parcus in Vermlandia crescit.

Per breve illud tempus, quo ad Nosocomia Clasfica medicinam exercui, cum radix ipsa in Pharmacopolio raro haberi posset, Herbam cum floribus ad febrem Castrensem, Synochum nempe Carta-

tarrhalem, curandam, non sine eximio successu adhibui atque hoc quidem modo præparatam. Herbae cum floribus concisæ Drachmas tres Libra ferventis aquæ infudi, & infusum refrigeratum atque colatum, secunda quoque vel tertia hora, debitiss antea adhibitis evacuantibus ad mensuram vasculi Theæ semis, ægrotis dedi, in primis illis, quorum vires inde ab initio febris multum debilitatæ fuerant, vel crebris Diarrhoeis vel febris graviori dispositione adeo decrescentes, ut vera crisis ipso naturæ molmine verisimiliter exspectari non posset. Hocce medicamen eo modo atque illo cum successu adhibitum fuit, ut periculosus ægri status in melius mutaretur atque crisis perfecta plerumque obtineretur.

## II. LEDUM PALUSTRE

In omnibus fere Regni provinciis crescit, præter Bauhusiam, ubi illud non adhuc reperi spon te crescens.

Hæc inter eas referenda est herbas Svecanas, quæ in Nosocomiis Navalibus plurimum adhibita fuit & præter ejus in morbis cutaneis gravioribus optimum effectum, in Diarrhoeis curandis maximum saepe præsttit usum. Infusum herbæ eo modo adhibitum fuit, ut uncia semis libra unica ferventis aquæ infusa fuerit. Ex hoc infuso refrigerato colatoque tria vel quatuor cochlearia saepius de die ægroto sunt propinata, maxima vero cum prudentia & ad statum ægrotantis habita attentione,

ut si vel instantis delirii vel alias perturbationis signa apparuerint, dosis statim diminueretur. Aliis remediis præstantioribus nihil saepe efficientibus, hæc infusio optatum produxit effectum.

### III VALERIANA OFFICINALIS.

Sicut supra commemoratae plantæ, ita & hæc in omnibus fere provinciis Patriæ crescit.

Radix hujus, quæ recentioribus temporibus ab illustr. STORCK & GMELIN tantopere commendata fuit, laudes sibi tributas vere meretur. Ut plures præteream occasiones, quibus eam adhibui, duos tantum graviores adferam casus, in quibus optatum perfecte præstítit effectum.

I. Puella quædam circa annos pubertatis, antequam menstruatio apparuisset, graviori Epilepsia adflicta fuit, quæ eam saltem semel quavis hebdomade adoriebatur. Laxantibus antea adhibitis, ad hunc morbum curandum plurima Emmenagoga, frustra tamen, adhibebantur. Tandem radicis hujus herbæ pulverisatæ drachma una, ter aut quater per quodque nyctemeron data, eum habuit successum, ut post tres menses morbus prorsus pelleretur.

II. Fœmina quædam hysterico morbo laborans & plures ante annos certis intervallis vehementissimis convulsivis paroxysmis, cum vomitu gravissimo coniunctis affligebatur: deinde post felicem partum

ab

ab Hemicrania gravissima, quotidie redeunte & septem vel octo horas durante, vehementissime torquebatur. Lochia solitis temporibus fluebant sufficierent. Ad eam curandam varia & casui accommodata tentabantur remedia; nihil vero dolorem capitum minuere vel tollere potuit praeter Valerianam, quæ post quatuordecim dies illum prorsus abolere valuit.

#### *IV. LICHEN ISLANDICUS*

In provinciis septentrionalibus Sveciæ crescit frequentissime. Non solum in publicis Carolicoronaæ Nosocomiis sed etiam in classe, præcipue ad Diarrhœas protractas & chronicas atque etiam Dystenterias curandas ut plurimum adhibitus fuit & quidem sub forma Decoëti, cuius ægrotantes vasculum chinense sæpius de die optatisimo cum effectu hauserunt.





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30361928>



